Kołłątaj H. Ratio studiorum
(1778).

RATIO
Studiorum
Pro Facultate Philosophica
In Universitate Cracoviensi
A. 1778.

HUGO KOŁŁĄTAY
CANONICUS Cathedralis Cracovienſis, ab Amplisſimo Publicæ Inſtitutionis Præfectorum Collegio ad Univerſitatem Cracovienſem Delegatus
V I S I T A T O R.

Poſtquam Ampliſſimum Publicæ Inſtitutionis Præfectorum Collegium viſitandi provinciam in Univerſitate Cracovienſi mihi obeundam decerneret, quæque eſſet Literarum & rerum Academicarum conditio, ex mei muneris ratione compertum acciperet; in id potiſſimùm providentiſſima ſua defixit ſtudia, ut pervetuſta hæc Regni Schola quantocyùs Scientiarum faciem induat, & ad publicæ rei emolumenta Illuſtrium Academiarum ſplendorem æmuletur. At tanta negotii moles cùm non ita properè ad ſummum perduci poſſit, interſit verò plurimùm Facultatem nunc Philoſophicam ad publicæ Patriæ commoda ſubminiſtranda ita eſſe comparatam, ut ex ea ceu è promptuario quodam bene morati & eruditione præſtantes pro inſtituenda in Gymnaſiis Palatinis Juventute Magiſtri depromantur; igitur ſupremo Literarii Magiſtratus arbitratu, eorum nunc mihi in Facultate Philoſophica ſtudiorum demandata eſt procuratio, quæ & animos Magiſtrorum ad renovandam in poſterum formam accommodent, & Adoleſcentibus ad munus docendi deinceps vocandis rerum utiliſſimarum culturam propinent. Ad hæc duo momenta, quemadmodum hæc noviſſimè à me inducta collineat mutatio, ita, ut in iis præcipuus Inſtituti Philoſophici cardo vertatur; præſentem ſtudiorum rationem concinnandam putavi, ubi de-

A lectus,

lectus, & disciplinarum, quæ ad rem hanc omnino faciunt; & Magistrorum, qui docendi Officium cum dignitate sustineant, cumulatius suis cum observationibus exponitur.

Disciplinæ in Facultate Philosophica tradendæ.

Logica & Metaphysica.
Philosophia Morum.
Historia Naturalis.
Physica.

Mathesis suas in Classes tributa.

Prima Classis complectens	Arithmeticam, Algebram, Geometriam cum Trigonometria Plana & Sphærica.
Secunda Classis	Mechanicam cum Statica, Hydrostaticam cũ Aërometria, Hydraulicam,
Tertia Classis continens	Opticam cum Perspectiva, Catoptricam, Dioptricam, Astronomiam.
Quarta Classis	Geographiã cũ Hydrographia, Gnomonicam, Chronologiam, Architecturam Militarem & Civilem.

Et, quoniam Facultati bellarum Artium locus etiam in Universitate jure optimo debetur, igitur, quæ Imaginem Instituti hujus referant, duæ præterea adjiciuntur Lectiones, quarum *Prima* in explanando Ciceronis libro de *Oratore*, *altera* in evolvendis Classicorum Poetarum Operibus versabitur.

Cum

Cùm verò cuivis bene ordinato Instituto sui præsint Moderatores, qui Legum integritatem tueantur, in Decanum Facultatis jam nuper publice renuntiatum, præficio *M. Franciscum Kolendowicz* Collegiatæ Vislicensis Decanum, Virum de re literaria probe meritum: cujus præter cætera officia partes erunt potissimæ, non modò in diligentiam Professorum intendere, consessus Academicos ad ineunda de bono Literarum consilia cogere, sed etiam rectum Studiorum ordinem ad præsentis Literaturæ normam exactum sancte constanterque fovere.

Ad Cathedras autem præfatarum Disciplinarum occupandas delecti Professores ii adsumuntur, qui laboribus literariis probati, habiliores cæteris visi sunt.

Professor Logicæ & Metaphysicæ	*M.*	*Vincentius Smacznin ski,*
Philosophiæ Morum	*M.*	*Bonifacius Garycki,*
Historiæ Naturalis	*M.*	*Nepomucenus Trabski,*
Physicæ	*M.*	*Petrus Rydulski,*
Matheseos 1mæ Classis	*M.*	*Andreas Znaczekski,*
2dæ Classis	*M.*	*Josephus Szabel.*
3tiæ Classis	*M.*	*Adamus Jagielski,*
4tæ Classis	*M.*	*Josephus Meyzel,*
Ad Artem Oratoriam	*M.*	*Sigismundus Wlynski,*
Ad Poetas Classicos explanandos	*M.*	*Andreas Cyankiewicz.*

§ I.

Monita Professoribus in tradendis Disciplinis servanda.

I. Inveterata illa Lectiones scribendi consvetudo, cùm improbum magis laborem, quam progressum in discentibus augeat, cujus pertæsi Adolescentes, non modò de contentione remittunt, sed etiam bonarum Artium studia ceu tædiosam operam fastidiunt: igitur pro majori Literarum & discentium commodo, præfata dictandi

methodus ex Facultate Philosophica proscribitur; Professoresque jam abhinc Authores ad scientias sibi peculiares delectos, qui ad gustum ævi recentis præcellere videbuntur, Auditoribus ea, qua par est, facilitate explanabunt.

2. Antequam verò munus docendi Professor auspicabitur, conficienda est Synopsis Lectionis anni totius decursu evolvendæ, quæ libri totius seriem, capita, ex quibus opus constitutum, methodum disciplinæ tractandæ exponat, hæcque Decano Facultatis producenda. Cujus negotium erit istiusmodi typum lectionis maturo judiciò versare, deque operis dignitate sententiam dicere.

3. Quum nullus Author ad eum apicem perfectionis adsurgat, cui non aliquid adjici possit, hinc præter uberem explicationem, si quæ occurrant, quæ ob ingentem utilitatem, attentionem Auditoris merentur, ea seu ex aliis Authoribus deprompta, seu proprio marte elaborata, Auditori calamô consignanda per modum Commentationis aut appendicis subjiciet. Quin liberum erit, si quæ non accuratè cum veritate consentiant, à sententia Authoris discedere, aliamque certiorem suum in locum supponere; in expediendis enim naturæ arcanis servitus animi ingenuo Philosophô est indigna. Semper tamen in hac libertate philosophandi exercenda, non odium aut inveteratum præjudicium, sed intimus veritatis sensus judex esto.

4. Methodus Analytica cùm unica ferè in Scholis obtinere debeat, utpote ad solidam eruditionem comparandam accommodatissima; ad illud quoque in delectu Authorum attendatur, eos cæteris anteponendos, qui rem à simplicissimis elementis exorsi ad reconditiora illius mysteria pertingunt. Sicubi verò hæc docendi ratio in Authoribus requiritur, eam sibi comitem semper in explicando Magister adsciscat, familiaremque faciat: voces scientiæ cuivis peculiares nonnisi post perspicuam & accuratam rei definitionem subsequentur,

5.

5. In hoc etiam quisque Professor operam contentionemque ponat, ut rei jam abunde enodatæ adplicationem ad varios vitæ humanæ usus subnectat: quod monitum singulari jure Matheseos Professoribus servandum, nunquam ex animo excidat; plerique enim adolescentium a Mathematicis disciplinis ideo deterrentur, quòd neglecta earum ad usus amplissimos adplicatio, macræ contemplationi lenimen non offerat. Enitendum igitur Matheseos Professoribus, ut Juventus Academica præceptionibus Mathematicis non modò ad rectè cogitandum mirè fingantur, sed etiam usum cujusvis problematis, ad quotidiana vitæ negotia, artefacta, œconomiam rusticam, aliaque humanæ societatis subsidia conquirat. Quod quidem docendi institutum plurimùm valebit, & ad tædium Auditori in ludo literario eripiendum, & ad fructus eximios ex hujusmodi institutione in vitam Civilem derivandos.

6. Logicæ Professor à Facultatibus Animi suisque operationibus analyticè evolvendis exordium capiet, & rectè ordinatèque cogitandi præcepta ita persequetur, ut menti à primis cognitionis elementis per totum cogitandi ambitum, ceu prodromæ ad veritatem leges certissimæ suggerantur, præjudicia, cæteraque bene cogitandi impedimenta removeantur, methodus in quavis arte & scientia faciliter progrediendi subministretur, atque tandem boni gustus fundamenta jaciantur. In Metaphysica verò, quæ elementa Ontologiæ, Psychologiæ & Theologiæ Naturalis complectetur, generales illas duntaxat veritates enucleandas suscipiet, quæ omnibus scientiis fundamenta, ultimaque veritati adyta subministrant.

7. Quemadmodum verò Logica rectè cogitandi, ita Morum Philosophia rectè vivendi præceptiones complectitur, hæc igitur voluntati, ferè ac Logica rationi remedia suggerit. Inde consequitur, doctrinam Morum à Natura variisque hominis facultatibus & sensationibus esse

oriun-

oriundam, multiplices tandem, quæ eum undique circumſtant, neceſſitates exponendæ, atque ex iis ſuapte natura profluentia jura & Officia, quæ varios hominis Status concomitantur, eruenda. Quamobrem Profeſſor in toto Moralis Philoſophiæ decurſu ad eam docendi Methodum diligenter reſpiciat, pervulgatumque illud: *Neceſſitas fecit jus. Juri cuivis ſua reſpondent Officia*, tanquam totius diſciplinæ baſim & teſſeram ſibi ſequendam adſciſcat: ut omnia æqui honeſtique imperata ex viſceribus humanæ naturæ deprompta, fortiſſima ad virtutem illicia voluntati ingenerent. Non igitur diſciplinæ iſtius emolumenta in arida legum & Officiorum contemplatione, ſed in perpetua earum executione, virtutis & æquitatis amore ſectando ſita eſſe, Auditoribus perſvadeat.

8. Profeſſor Naturalis Hiſtoriæ, explanato diſciplinæ hujus argumentô, in tria Regna ceu totidem Claſſes integrum opus ſecabit; eaque plantarum, animantium, mineraliumque genera cumulatius perſequetur, quæ Polonia nutrit, ſuoque ſinu complectitur.

9. Profeſſoris Phyſices princeps cura in eo verſabitur, ut in tractanda hac diſciplina non ingenii, ſed utilitatis potiorem ſemper rationem habeat. Non igitur eorum veſtigiis ſibi inſiſtendum putet, qui populari oſtentatione abrepti plus operæ locant in perquirendis phænomenorum cauſis alendiſque litigiis, quam in effectuum corporis perpetuarumque obſervationum utili adplicatione. Quo evenit, ut juventus, curioſa indagine acta, cum nihil præter meras conjecturas offendat, aut præjudiciis imbuatur, aut ipſa probabilitate à pulcherrima æque ac utiliſſima condiſcenda ſcientia arceatur. Noverit igitur Profeſſor & juventuti & commodo Literarum maximè proviſum iri, ſi *primò* generales Corporis affectiones enodet, obviiſque experimentis demonſtret, Geometriæ, Algebræ atque Mechanicæ legibus in ſubſidium vocatis; harum continuò

uſus

usus in opificiis, machinarum motu & structura, cæterisque vitæ humanæ commodis indigitet. Ad peculiares tandem corporum dotes gradum inferat, ubi Hydrostaticæ, Hydraulicæ ac Opticæ leges ad praxim adplicatæ placidam juxtà ac utilem adolescentibus notitiam offerrent. Opiniones Philosophorum circa phænomeni alicujus causam nonnisi historicè percurrat, quodque veritati vicinius, argumentô brevissimo præmoneat. Numerosam autem illam objectionum turmam ad eorum tribunal amandet, quos nondum excellentis Literaturæ gustus invasit. Antiquatas quoque illas ac ludicras quæstiones, quibus tantopere plebs Philosophorum exultat, missas faciat; quòd ex iis & nihil discentium utilitati accedat, & serius animus inter crepundia gravitatem non exerceat.

10. Adolescentes eloquentiæ Sacris initiati, quò certiùs præclarè loquendi facultatem ex Cicerone consequantur, ad Professorem attinebit ex libro de Oratore præceptiones depromere, animisque discentium subjicere, eas exemplis lectissimis ex eodem Cicerone aut Julio Cæsare illustrate, nunquam verò proprias praxes sibi subnectere licebit. In hoc etiam plurimum elaboret, ut variam styli consectationem, ejusque vitia planiùs exponat, quo juvenum animis & dotes & nævi eloquentiæ penes Ciceronis loquendi rationem vividius oberrent. Igitur cuivis explanationi prudens atque sensata crisis accedat, moderatum troporum atque figurarum usum indicet, moneatque identidem non in phaleris, verborum figuris, aut puerili vocum exaggeratione, qui loquendi pruritus ex Scholastico pulvere excussus serpit etiamnum; sed in concinno, gravi magnorum sensorum adparatu, ejusdemque nexu suapte natura decurrente vim Eloquentiæ sitam esse.

11. Poetarum Classicorum lectio præter cætera emolumenta illud potissimum præstat, quòd mentem ad excelsa eximiaque cogitata erigat, atque adeò limites cogitandi latiùs

di latiùs protendat, propterea in explanandis Poëtarum partubus, non tam ad voculas, quàm potius ad vim, sublimitatem, nexum adpositum sensorum juvenes Professor adhærescere faciat, ne ex Lycæo uberrimi verborum, pauperrimi verò sententiarum possessores evadant, ferè ac ii, qui in aurifodinis ferro colligendo occupantur. Discrimen Poetarum inter & Oratorum loquendi rationem, Mythologiæ prudentem usum, cæterasque Poëtis familiares dotes adscitis regulis Critices, condocefaciat.

12. Istud verò omnium instar cautelarum princeps est, ad quod singulorum Professorum referatur conditio, ut tales suis è Lycæis prodeant Auditores, quales Patria, votaque supremi Literarii Magistratus evasuros præstolantur; nimirum: non modò solidioris eruditionis adparatu instructos, sed etiam ad omnem virtutis & humanitatis rationem compositos, atque adeò exercendis deinceps Magistrorum muniis pares. Quamobrem tota eorum institutio ad soc etatis humanæ usus, vitæ lenienda incommoda, evellenda præjudicia, culturam rationis, gustum optimum conciliandum, moresque ritè formandos, ceu nobilissimam Educationis frugem doctrinâ, vultu, exemplisque ingenerandam; sit adcommodata.

13. Lectionis cujusvis Cursus, anni duntaxat unius ambitu definitur, ad quod punctum singulis Magistris diligenter respiciendum, ne scilicet suis in prælectionibus plus æquo cunctati, Auditores è Collegiis mancos, ut ajunt, dimittant. Ad exitum Anni scholastici, ante ferias scilicet vacationum publica specimina instituantur, in quibus Auditores ingenii sui periculum faciant. Decanus singulis exercitationibus intersit, quo sibi luculentiùs constet, & habilitas discentium & Literarum progressio.

14 Diebus octo, qui Festum Corporis Christi subsequuntur, ideò quôd tunc Professores divinis peragendis vacant, à Lectionibus erit abstinendum. S

§ 2.

De Candidatis Philosophiæ in adeundis Collegii Lycæis.

I. Iis duntaxat Adolescentibus ad constitutas in Facultate Philosophica Lectiones aditus reseratur, qui emenso integro in Gymnasiis Palatinis studiô ad ulteriorem eruditionem; ceu severiorum studiorum complementum adspirant. Juvenes igitur, qui prætermissa, aut in cursu studiorum relicta Classe Gymnasii aliqua ad Collegium penetrarent, ab adeundis publicis Lectionibus arcebuntur suas in sedes continuò revocandi.

II. Nemini ad Superiorum Facultatum Lycæa pervolare licebit, nisi prius Mathematicarum & Philosophicarum disciplinarum curriculô absoluto, quod quidem punctum attinet ad eos, qui ad sectanda literaria Castra, institutum Academicum profitentur. Porrò Decanus iis, qui in succrescentium Magistrorum tyrocinium adoptantur, eas Lectiones excipiendas præscribet, quæ cum ætate, indole, temperamento uniuscujusque apprime consentiunt.

III. Cùm ordinata Studiorum pertractatio in Palæstra literaria potissimùm spectari debeat, è re discentium erit ad illius leges totum Studiorum curriculum exigi: Igitur Philosophiæ Candidati primo annô in condiscenda Logica cum Metaphysica, 1ma & 2da Matheseos Classe, atque Morali Philosophia operam locabunt. 3tiæ verò & 4tæ Classi cum Physica & Naturali Historia annum alterum impendent. Evigilandum verò Decano erit, ne quis ex futuris Magisterii ad Gymnasia Palatina competitoribus Moralis Philosophiæ studium transiliat hæc enim disciplina primas sibi ibidem vendicat, atque adeò suis præceptionibus probè excultum Professorem requirit.

IV. In distribuendo verò Lectionum tempore illud memoria ne excidat, ut Lectiones uno anno Auditoribus percurrendæ illis interponantur, quæ ad ulterius anni studium spectant; atque ita Auditoribus intercapedinis aliquid unam inter & aliam Lectionem, cùm ad respirium, tum ad domesticam doctrinæ cujusvis nominationem concedatur.

V. Statim atque Lectionum in horas Auditorumque in Classes exacta habebitur collocatio; Decanus tabulas cum Lectionum serie, Auditorumque Syllabo concinnandas curet, easque Professoribus distribuat, ut ii de Auditorum ita suorum nomine & frequentia instructi singulorum diligentiam vel socordiam, nativam in literas propensionem, ingenii & rationis vim, reflectendi facultatem progressionemque in Studiis notent, & Decano integra fide significent.

VI. Quo autem introductus hic rerum agendarum ordo sanctiùs teneatur, Auditoresque fortioribus incitamentis ad laudem eruditionis eluctentur, Decanus Mense quovis Lycæa publica lustret, num hæc à suis frequententur, ibique discentium sedulitatem, fructum ex explanatis Capitibus decerptum diligenter exploret, amorem Literarum, Studium æmulationis atque morum integritatem firmissimis fomentis instillet,

VII Præterea examina ex singulis præstitutis Lectionibus post decursum quinque semper Mensium indicuntur, ad quæ peragenda Professores, qui Classi disputantium præsunt, & alii eruditione præstantes à Decano destinabuntur; hoc tamen semper cum delectu, ut ad Mathematica tentamina Mathematici vocentur, quorum partes erunt præsente Decano ex propositis à Professore Positionibus doctrinæ periculum in Auditoribus facere, illiusque ad vitam Civilem adplicationem inquirere. His verò expediendis triduum inter vacationem Literariam accensendum, dicabitur.

VIII.

VIII. Quæ in tentaminibus istis felicia comparebunt ingenia rei literariæ subsidium in posterum allatura, eorum nomina distinctis Codicillis erunt inserenda, adjuncta ea disciplina, cui peculiarius animum addixerunt, suntque in ea insigni cum progressu versati. Quippe tenera hæc eruditionis semina in eorum animis placidis humanitatis invitamentîs erunt perpetuò nutrienda, & ut ad maturitatem sensim perducantur, Decani ac Magistrorum illiciis excitanda. Quamobrem omnis torva atque agrestis tractatio, à mansvetissimo Literarum commercio quàm quod maximè, abesse debet.

IX. Quodsi verò cuipiam ex Philosophiæ Studiosis Literarum studia ita malè vertant, ut trienniô evolutô operam in iis perdidisse videatur, talis ab adeundis Collegii Lycæis erit removendus, & ad aliud vitæ suscipiendum Institutum svaviter cohortandus.

X. Siquidem bona educatio ex privatorum etiam Præceptorum habilitate atque morum probitate in adolescentes redundat, igitur pro majori rei Literariæ gloria Gymnasii Palatini Præfectus iis duntaxat Pædagogis juvenes privatim instituendos committet, quorum & eruditionem & morum integritatem à Decano sibi sufficienter commendatam habebit.

§ 3.

De Literariis Academicorum Concertationibus.

Literariarum hîc Concertationum nomine veniunt disputationes illæ, quæ singulis hebdomadibû per Facultatis Philosophicæ Professores expediuntur. Habent eæ profectò non contemnendam utilitatem, si animô eruendæ veritatis, confirmandiquè judicii, non verò pervicaci contradicendi studiô, ambituquè triumphandi suscipiantur. Ut igitur hujusmodi disceptationes scientiarum incrementa extendant, non impediant, hæc ad earum per-

tractionem Facultas Philosophica accipiat.

1. Decanus thesium Philosophicarum ex Logicæ, Metaphysicæ, Physicæ atque Moralis Philosophiæ penu delectum ita faciat, ut eæ neque vanis subtilitatibus scateant, neque extra omnem dubitationis aleam sint positæ, sed dignum eruditò ingeniò nodum complectantur, & in Lycæis publicis luculentam Magistrorum pertractationem sint mériturae. His adjiciat Problemata & Theoremata Mathematica ex scientiis, quæ quatuor Classibus continentur, initiô factô a Geometria & Algebra, ea, qua sibi succedunt, serie depromenda: quibus resolvendis, rite demonstrandis, & adplicandis insignis contentio tempusque haud exiguum impendendum.

2. Quatuor Themata ex totidem laudatis scientiis deprompta, quælibet concertatio excipiet, quorum duo ex Physica nimirum & Morali Philosophia in quæstionem digesta, atque binis semper Philosophiæ *Baccalaureis* discutienda committantur; ipsi autem concertationi unus è novellis Philosophiæ Doctoribus & Baccalaureis anni secundi præficiatur, qui eidem præsideat thesiumque veritatem contra impugnantium objecta indicet. Professores verò cæteri, quotquot Cætum Facultatis constituunt, in Classes genuinas redigendi, quarum aliæ *Impugnantium* in proponendis dubiis; aliæ *Suffragantium* in ferenda Præsidi ope, munere perfungentur. Impugnantium quælibet Classis, ex tot duntaxat coalescet Professoribus, qui positionum expositarum numerum exæquent. Atque hanc quidem concertationis Philosophicæ œconomiam à Facultate tenendam cum thematis disputationum, Decanus prælo excudi curet, interque Facultatis Professores distribuat.

3. Quod ad ipsum pertractandarum Disputationum modum attinet, hic ad sequentem normam erit exigendus: Decanus concertationis locum ingressus in confluxu Philosophiæ Auditorum, & Classium designatarum Præsidi expositas

di expositas omnes Positiones sufficienter explanet, quaestionum statum nitidissime exponat, & minutatim deargues, iis notionibus in medium adductis, quae ad adfundendam cuivis themati lucem, solvendaque dubia mirificè faciunt. Placita tandem Philosophorum cum suo fundamento; nova hac in re inventa, ceu concinnam argumenti historiam texat; atque deinceps ad practicum cujusvis thematis usum in vita Civili, aut aliis disciplinis exponendum, gradum inferat, nihilque à se praetermitti curet, quidquid humanae societati ex ipsiusmodi argumento utilitatis aut accessit, aut accedere potest, ut ita audientium animi & de bene locata in studiis opera gaudeant, & utilia Reipublicae membra evadant. Horrida autem illa notionum vagarum farragine, subdivisionum supervacuarum sylvâ, quae ingenium obruunt, non erudiunt, Disputationum Lycaea haud aliquando personare patiatur. Atque in hac duntaxat, quam accuratissima Thesium explanatione tota Decani contentio versabitur.

4. Classis impugnantium cùm numerum positionum excedere non debeat, ita partes suas aget; ut cuique Professori una distincta adsertio impugnanda obveniat. Unus autem impugnantium Mathematicis disciplinis instructus sit, oportet, ad quem attinebit sufficientem dati Problematis, aut Theorematis resolutionem & demonstrationem è Praeside inquirere, obscura illustrare, ignota detegere, propositisque per modum dubiorum quaestionibus, exemplis, & casibus, respondentis scientiam periclitari. Usum tandem resoluti Problematis seu ad dimensurandos agros, seu ad fluminum cursus, riparum munimenta, aggerum structuras, aquarum derivationes, & ad caetera vitae humanae commoda serviturum evidentius ostendet.

5. In impugnando unum idemque Argumentum ne aliis atque aliis modis ad taedium usque cum temporis jactura inculcetur, neve vanae cujusdam victoriae obtentu

dubium

dubium aliquod non sufficienter solutum impugnans prætermitti sinat, præsidemque de veritate ancipitem teneat. Lenitatem quoque cum affabilitate ingenuis semper Philosophis amicam disceptantes consectentur. Quamobrem cum consveta disputandi in scholis ratione, notissima illa Socratis Methodus erit socianda, ut pote ad candidè familiariterque inquirendam vel communicandam veritatem conformata.

6. In discutiendis thesibus tristes illi Dialecticorum mæandri, ceu exiguæ Scientiæ merces, quàm quod maximè, absint: responsa non jejunis distinctiunculis scateant, sed perspicuo & politiori sermone expediantur.

7. Totius Concertationis Philosophicæ tempus ultra trium horarum spatium nunquam protendatur, igitur cavendum, ne impertinentibûs digressionibus concertantes diffluant. Is nonnisi Præses, & Classis, cui prima decertandi acies obtinget, brevi oratione Decanum Facultatis excipient, reliquæ verò Disputationes ab istiusmodi Prooemiis temperabunt.

8. Qui autem de Philosophicis quæstionibus sententias pronunciabunt, quò promptius rectè cogitandi & loquendi facultatem consequantur, Decano hæc cura incumbet, ut nitidè juxta ac firmiter Dissertationes suas proferant, ne nimium verbosi sine rerum & cognitionum pondere jejunum dicendi genus consectentur.

§ 4.

De Magistris, quibus docendi Officium non contigit, dequè Juvenibus, qui Institutum Academicum suscipiunt.

Magistri illi in Cætum Facultatis adoptati, quibus publica docendi Provincia non obtigit, etsi propter emensum jam severiorum studiorum curriculum ab adeundis

undis Lycæis exempti sint, nunquam tamen Literaria aliqua munia à Rectore vel Decano Facultatis imposita, suscipere recusent. Quin privatos inter parietes in his studiis altius perscrutandis tempus operamque collocent, quæ nôsse ad Gymnasiorum Palatinorum Doctores & Præfectos attinet, ut ad publicas istiusmodi functiones inposterum vocati, nihil ad congruam eruditionem sibi deesse sentiant. In Lingvarum etiam exterarum, ac præsertim Germanicæ commercio vitæ Civilis tantopere necessariæ, cultura sese exerceant: quod etiam cæteri docendi aut discendi Officio addicti, succisivis horis præstare adlaborent.

Quoniam tristi experientia compertum est, bene multos Academicos juvenes in ipso vitæ Literariæ tyrocinio suo arbitratui relictos, non modò à discendi contentione, sed etiam morum probitate deflexisse, igitur priscâ Universitatis hujus consvetudo postliminiò excitatur, sanctiusque abhinc tenenda inducitur, ut nimirum singulis Adolescentibus, statim atque Institutum Academicum arripient, sui Moderatores in consessu Facultatis, præficiantur, qui censorio oculô ad eorum mores & disciplinam diligenter advertant, in studiis sedulitatem explorent, Decanoque privatim & in publicis Facultatis concionibus testentur. Ii etiam, quibus regimen Contuberniorum creditum est, suarum esse partium censeant, singulis hebdomadibus cum Auditoribus Lectionum Publicarum examen instituere, eorum in scientiis progressionem periclitari; morumque tueri honestatem; cujus muneris rationem reddi sibi semper Decanus postulet.

§ 5.

De Scriptis in publicum evulgandis.

Quoniam immoderata, Scripta in publicum evulgandi libido usque eò processit, ut etiam præcoces & immaturi

maturi ingenii partus nonnunquam cum pænitenda Literarum labe prelo excuderentur, cavendum igitur erit, ut eæ duntaxat lucubrationes ex Facultate publicam lucem accipiant, quæ & ad Literarum causam faciunt, & censorium examen diligentissimè subiere, ad quod instituendum Viri semper eruditione præcellentes, hacque in arte egregiè versati à Decano deputabuntur, qui post seriam disquisitionem de dignitate operis sententiam dicent, atque Rectoris calculo subjicient.

Conclusio.

Hactenus adumbrata Studiorum ratio cum singulis animadversionibus & Capitibus, tamdiu in Facultate Philosophica vim pondusque obtinebit, & ad eam tota disciplina, reique Literariæ administratio exigenda erit, donec alia præscripta ab Amplissimo Publicæ Institutionis Præfectorum Collegio Facultati servanda transmittantur. Dabam Cracoviæ Calendis 8bris 1778.

HUGO KOŁŁĄTAY
m. pp.